

## 20 Jahre Studium in Frankreich und Italien

### XIX, 12.

Eodem anno ego, Willelmus domini patientia sancte Tyrensis ecclesie minister indignus, huius historie concriptor, quam ut posteris antiquitatis aliquam relinquere[± 27 —] compila[± 18 —]is post vicesimum pene annum, quibus continue in Francia et Italia philosophorum ginnasia et liberalium studia disciplinarum necnon et celestis philosophie salutifera dogmata, iuris quoque tam ecclesiastici quam civilis prudentiam avidissime sum sequutus, ad propria remeans paternis laribus et pie matris, cuius anima sancta requie perfruatur, restitutus sum complexibus, in sancta et deo amabili Ierosolima initium ortus habens et a progenitoribus domicilium. Fuerunt autem nobis hoc medio tempore, quo in partibus transmarinis nostram in disciplinis transeimus adolescentiam <et> in paupertate voluntaria literarum studiis etatis nostros dedicavimus dies, in liberalibus artibus doctores precipui viri venerabiles et pia recordatione digni, scientiarum vasa, thesauri disciplinarum, magister Bernardus Brito, qui postea [fuit] in patria unde ortus fuerat episcopus fuit Cornualensis, magister Petrus Helie, natione Pictavenssis, magister Ivo, genere et natione Carnotenssis. Hii omnes magistri Theodorici senioris viri litteratissimi per multa tempora auditores fuerunt; horum tamen novissimus, magister Ivo, magistri Gilleberti Porrea Pictavenssis episcopi, quem post magistrum Theodoricum audierat, doctrinam profitebatur. Hos alternatim, secundum quod eorum negocia presentes eos nobis permittebant vel absentes, annis audivimus circiter decem. Audivimus et alios etsi non assidue, tamen sepius et maxime disputationis gratia, viros eximios et omni laude prosequendos magistrum Albericum de Monte, magistrum Robertum de Meleuduno, magistrum Mainerum, magistrum Robertum Amiclas, magistrum Adam de Parvo Ponte, qui videbantur quasi *maiora luminaria*. In theologia autem virum in ea scientia singularem, cuius opera que exstant prudentum chorus cum veneratione amplectitur et colit cum reverentia, virum sana doctrina per omnia commendabilem, magistrum videlicet Petrum Lonbardum, qui postea fuit Parisiensis episcopus, annis sex continuis diligenter audivimus. Magistrum quoque Mauricium, qui ei postmodum in eodem episcopatu successit, sepius audivimus. In iure quoque civili Bononie

dominum Hugolinum de Porta Ravennate et **dominum Bulgarum** iurisconsultos et supreme auctoritatis viros habuimus preceptores, sed et alios eorum contemporaneos, dominum videlicet Martinum et dominum Iacobum, viros in iure peritissimos, vidimus sepius et eorum auditoria frequenter ingressi sumus: hii quattuor quasi columpne in solidis basibus in templo iusticie videbantur ad eius sustentationem erecte. Habuimus autem et in auctorum expositione seniore quendam, Ylarium Aurelianensem, doctorem, in geometricis et maxime Euclide magistrum Willelmum Suessionensem impeditoris lingue virum, sed acute mentis et ingenii subtilioris hominem. Horum omnium usque hodie in benedictione vivit memoria et permanet inclita recordatio: qui elucidaverunt scienciam et pertransseutes fecerunt eam multiplicem, multos erudientes ad iusticiam in quibus perhenniter vivunt oblivionis dispendia non senssuri, quorum lumen quasi syderum secundum Danyelis sermonem, quo ait: *Pertranssibunt plurimi, et erit scientia multiplex*, et item: *Fulgebunt iusti sicut firmamentum, et qui multos erudiunt ad iusticiam quasi stelle in perpetuas eternitates*. Sit omnium eorum clemens et miserator dominus in retributione iustorum pie memor, et pro his omnibus que in nos misericorditer contulerunt qui ab ignorantie tenebris ad scientie et <iusticie> lumen, licet modicum, sua nos erexerunt eruditione, premia largiatur sempiterna.

Postquam ergo auctore domino ad propria reverssi sumus, dominus Willelmus pie memorie Acconensis episcopus, natione Lonbardus, vir providus et discretus, ex archidiaconatu Tyrensi ad illam ecclesiam translatus, statim post ingressum nostrum mera caritatis liberalitate cum voluntate et consensu totius capituli in ecclesia sua beneficium, quod prebenda dicitur, nobis concessit. Sed et dominus rex bone memorie Amalricus, cuius in presenti gesta describimus, visus est satis gratanter adventum nostrum sucepisse, et nisi livore quidam ducti nobis prestitissent impedimentum et regium animum aliquatenus a nobis avertissent, cuncta nobis statim de suo beneficia ut dicebatur assignasset. Tamen non destitit, pro nobis sollicitudinem gerens, èt ubi oportunitatem repperit apud episcopos preces porrigere èt nobis ignorantibus beneficia promereri. Recreabatur autem nostra confabulatione plurimum; cuius etiam suggestionem, quam libenter amplexi sumus, presens gestorum, que in regno acciderant ab eius de manu hostium liberatione, monumentum conscripsimus. — Sed nunc ad historiam redeamus.